



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

Capvt XVI. Defectus monstrorum & naturæ plerumque aliunde
compensari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

CAPVT XVI.

*Defectus monstrorum & naturæ, ple-
rumque aliunde compensari.*

§. I.

*In libera Dei potestate esse, ut monstra pro-
ducat.*

Poterant huc vsque disputata satis placare imperitorum monstrorum carpentium querelas: & sufficit, malitiæ atq; superbiæ fructum esse, quod impatientia non vult tolerare; immò audet in tam benigno Plasmatore, criminossissimis iniurijs accusare. Quid enim? si monstrum sinit gigni, cui iniuriam facit? quid, si luscum, aut cæcum, aut manibus pedibusque truncum hominem in lucem prodire ab utero matris suæ permittit? Dominus est vniuersæ naturæ. Quod vult, facit. Potuisset talem omnino non sinere nasci, aut concipi. Potuisset eum in Nihilo suo relinquere. Quidquid ei dedit, gratis dedit; & sæpe etiam ingrato. Quidquid negauit, pro potestate sua negauit. In summa tantum dedit, quantum dare voluit. Statuarius ex ingenio fingit simulachra, alia sine pedibus, & pectore tenus

Nn 3 tantum,

Rom. 9.
21.

tantum, alia integra. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum, ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Hoc nos per Prophetam

Ierem. 18.
6.

scire voluit, cum illius ore diceret: Ecce sicut lutum in manu figuli, ita & vos in manu mea. Quid inde conficitur? Id quod Apostolus dicit, O homo, quis es, qui respondeas Deo? Respondere Deo non posse conuincitur,

S. Greg.
lib. 9. moral.
c. 8.

ait S. Gregorius, qui homo nominatur; qui per hoc, quod de humo sumtus est, iudicia superna discutere dignus non est.

§. II.

Compensatio eorum, quae desunt in vno loco, aut alia re, à diuina prouidentia Mundo prospecta.

Hæc quanquam ita sint, & licet negare vnicuique possit, quod vult, tamen tam bonus est Plasmator noster, vt plerumque quod in vno negat, in altero compenlet.

Albert.
Hieron.
Seneca-
nus lib. 1.
de Proui-
dent. Dei.
c. 7.

Ita, teste Alberto Hierone, ubicumque locorum alicuius rei ad vitam necessaria inopia laboratur, ibi aliud quiddam, quod eius vicem suppleat, inuenitur. In Aegypto, vbi rara pluuia, Nilus ripas aluei supergressus, id quod à

calo

celo regioni isti negatum est, etiam abunde sua irrigatione compensat. In locis mediterraneis, ubi salis factitij materia deest, fodina salis à natura confecti reperiuntur, ne vlla terra pars condimento ciborum tam necessario destituatur. In Noruegia & Suetia, ubi perpetuo gelu omnia rigent, non solum quercus, pinus, abietes, & id genus alie arbores tanta copia, quanta vix vsquam alibi, proueniunt, verum etiam Marturi, Zebellini, Ceruarij, nigra & alba vulpes, quarum pelles ad frigoris asperitatem mitigandam apprimè idoneæ sunt, plures, quàm alijs locis visuntur. In Frisia, Hollandia, Taxandria, ubi nulla, aut rara siluæ inueniuntur, cespitis quoddam genus è terra effoditur, quod ad solem siccatum tam idoneum fit ignis fomentum, ut lignorum desiderium facile harum regionum incola ferant. M. Paulus Venetus dicit, in regno Cathay, quod lignis caret, nigros lapides inueniri, qui in ignem missi, ut lignum, ardent. Ubi, ob serpentum ingentem numerum, homines in magno periculo vite versantur, ibi lacerta humano generi amica, si quando dormienti in pratis homini serpentem insidiari vident, faciem eius perreptant, ut a somno excitetur, & insidias declinet. Huiusmodi naturæ succursus, qui passim in ma-

Vide &
Adrian.
Iunium
in Bata-
uiæ histo-
ria.

Io. Lud.
Gottfrid.
in hist.
Antipod.
p. 1. pag.
177.

gno mundo cernitur, etiam in homine, hoc est, in *paruo mundo*, reperitur, cui si vnum membrū deest, aut læsum est, alterū tanto magis seruit, pedemq; manus, & sensum, sensus haud rarò compensat. Aut si defectus corporis dexteritate non sarcitur, ingenij dotes, animiq; vires tanto sunt locupletiores. Quemadmodum fit etiam, in Brasilorum canibus, qui cū latrare nequeant, tamen possunt vlulare, more luporum. Quod ipsum experimur in luce mundi sideralis, vbi subducto sole, luna effulget, aut clarus stellarum chorus. Ita quoque sunt alij suæ quisque regionis indigenæ, quorum si quid in vno deest, in altero superest. Æthiopi barbam non dedit natura, dedit autē capillum tanto densiorē, quo solem arceat capiti flagrantius imminentem. Europæus crispata coma non indiget, ea igitur illi materia de vertice ad mentum defluit, vt barba vestiatur. Atq; hæc quidē opera sunt naturæ in vno compensantis, quod deest in altero; & hiemi, sobolescentem vernæ telluris fecunditatē substituentis; quam tamen seu vicissitudinem, seu compensationem non miramur, quia consuetudo transit in contemptum,

aut

aut neglectum. Illas igitur res alba linea signandas arbitramur, quas raritas commendat. Ostendam igitur, alias quoque in monstro, vel monstrosis compensationes admirationem meritas, non quod raro contingant, sed quod raro expendantur; aut narrentur, cum tamen manifesta Numinis ex illis providentia, & sapientissimum iudicium elucescat.

§. III.

Parvorum hominum magna virtus.

Philetam Cum aiunt macerrimo corpore fuisse. Quoniam igitur quavis occasione facile subverti poterat, ferunt eum plumbeas habuisse soleas in calceis, ne à ventis prosterneretur, si paulò durius eum afflassent. Quod ergo illi in corpore pondus natura negavit, id à plumbo ingenium addidit: alijs quod eadem natura in mensura subtraxit, in pondere substituit, & breves quidem, sed pingues fecit, & in omaso suum momentum habentes. Atque, ut à statura incipiamus, quoties, si corpus aspiciatur, pusillus quantus Molon, animos gerit gigante maiores? Ut nihil repetam de Zachæo; quanta laude afficit Pindarus Mellissum Thebanum, qui statura corporis

Ælian:
lib. 9. variar. c. 14.

Suidas
Verb.
Molon.
Luc. 19.
Pind. od.
4.

N n 5

parua,

Eunapius
in Iam-
blichio.

Ioseph.
lib. 7. de
bello Iu-
daic. c. 5.

parua, sed animo magno, Isthmio equo vicit? Eunapius testatur, ætate Iamblichi vixisse Alypium Alexandrinum corpusculo admodum exiguo, pauloque quam cubitale, aut Pygmæi, maiore, quod intuenti videri poterat anima spiritusque esse; sed usque adeo quod corruptioni obnoxium erat, nihil adolescebat, ut etiam in diuinam quandam naturam consumeretur. Erat enim in Dialecticis exercitatissimus, & Philosophus, qui multos triumphos triumpharet. In difficili Hierosolymorum oppugnatione, Titus longissima oratione milites suos hortatus est, uti in Antoniam arcem ascenderent, eamque caperent, quæ capta, urbs capta esset. Vbi peroravit: *cetera quidem multitudo periculi magnitudinem timuit: eorum vero unus, qui in cohortibus militarent, Sabinus nomine, genere Syrus, vir et manu simul, et animo fortis apparuit: licet si quis eum ante vidisset, quantum ex habitu corporis, ne specie quidem militem credidisset. Erat enim colore niger, exilis habitudine: sed anima quadam heroica, in macro corpore atque angustiore viribus suis, habitabat. Cum primus itaque surrexisset, Dedo me, inquit, tibi alacri animo, Cesar, et ante omnes in murum ascendo: atque*

opto

opto quidem, ut vires ac voluntatem meam sequatur fortuna tua. Quod si cepto casus inviderit, scito, me non præter spem, quod res aliter cesserit, sed quod sic decreuerim, pro te moriturum. His dictis & scutum laeva capiti prætendens, strictoq; dextera gladio, circa horam diei sextam murum petebat, sequebantur autem ex alijs, qui soli eius virtutis emuli esse cupiebant, undecim viri. Multò autem omnes antecedebat diuino quodam impetu excitatus, cum de muro custodes iaculis, & sagittis undiq; infinitis appeterent, atq; ingentia saxa deuoluerent, quæ nonnullos de undecim deiecerunt. Sabinus autem missilibus occurrens, licet obrueretur sagittis, non tamen antè impetum cohibuit, quàm summa muri prehenderet, hostesq; in fugam verteret. Viribus enim eius atq; animi pertinacia territi, pluresq; ascendisse rati, non steterunt. Qua in re fortunam quis veluti virtutibus inuideat, semperq; præclaris facinoribus officiat, non incusauerit? Siquidem hic vir neq; ab incepto errauit, & offensione lapidis cum maximo crepitu decidit. Unde factum est, ut Iudæi reuersi, ubi solum & jacentem videre, ex omni eum parte iaculis peterent. Ille verò genibus nixus, & scuto protectus primò quidem ulciscetur hostes, multosq; ad se ap-

se ap-

se appropinquantes sauciauit : vulnerū autem
 multitudine remisit dexteram : & ad extre-
 mum priusquam redderet animam, sagittis est
 obrutus, vir dignus pro fortitudine, qui melio-
 ri fortuna uteretur, pro mensura verò cepti
 facinoris cecidit. Hæc Iosephus de paruo il-
 lo, qui tamen maximos virtute superauit,
 quia

Maior in exiguo regnavit corpore virtus.
 Experientiaq; ipsa ostendit, plerumque in
 paruo corpore magnos inesse animos. Vir-
 tus enim vnita fortior est seipsâ diuisâ.
 Cùm igitur virtus animæ in corpore paruo
 vniatur, in magno diuidatur & disperga-
 tur, fit vt naturaliter paruis, quàm magnis
 facilius fiat magnanimitas, difficilior hu-
 militas. Itaque animus non mensuratur,

Eccli. 11. corpore, sed corpus transcendit. *Breuis,*
 3. *μικρά, (id est, parua) in volatilibus est apis,*
 ait sapiens, & *initium (ἀρχὴν id est, prin-*
 cipatū) dulcoris habet fructus illius. Hinc
 2 Cor. 10. & Apostoli *presentia corporis fuit infirma,*
 10. *ingenium tamen, animus, virtus, & facta,*
ingentia; vt non tam quia statura paruus
erat, quàm quia Paulus vicit, Paulus di-
ctus videatur. Vti Scipio, inquit S. Hiero-
nymus, subiecta Africa, Africani sibi nomen
assum-

assumfit, & Metellus Creta subingata, Cretici
 cognomentum reportavit, & Imperatores nunc
 usq; Romani ex subiectis gentibus Adiabeni,
 Parthici, Sarmatici nuncupantur: ita &
 Paulus, ad prædicationem Gentium missus, pri-
 mo Ecclesie spolio Proconsule Sergio Paulo, vi-
 ctoria sua trophæa retulit erexitq; vexillum,
 ut Paulus diceretur è Saulo. Quamquam
 hoc non obstat Paulum quasi paruum, pu-
 fillum, modicum etiam dici, siquidem, ut
 docet Sigonius, Æmilianorum quoque fa-
 milia, à parua statura nomen Pauli adhæ-
 sit. Sæpe igitur Paulo alicui, aut paululo
 hominis aliunde pondus accedit, cum & ex
 Paulo Apostolus magnus sit factus.

§. IV.

*Alypiana breuitas excusata, virtus laudata
 à S. Gregorio Nazianzeno.*

In contrarium autem, *Valentissimo quisq;*
corpore longissimè abest à sapientia, ait Cicero,
 & Poëta de tali ait:

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

Quod non idcirco dixerim, quasi non
 rex Saul, alijque insignes heroës plurimi
 fuerint procero corpore; sed quia planè
 video passim, pusillos tanquam pusio-
 nes haberi, & deridiculo esse. Imitor ita-
 que

Sigonius
 in nomi-
 nib. Ro-
 man.

S. Grego-
rius Naz.
ep. 155.

Gregorius
in Naz.
ep. 155.

que in hac masculorum apologia S. Gregorium Nazianzenū, ad Nicolaum, qui Alypianæ vxori suæ, Gorgoniæ Gregorij sororis filiaë exiguam staturam exprobrauerat, his verbis rescribentem: *Alypianam apud nos cauillis incesbis, ut paruum, & tua proceritate indignam, o magne & vaste gigante, tum forma, tum robore. Nunc deum intelligo, animū mensuræ subijci, ac rupes margaritis prestantiores esse, cornosq; luscinys angustiores. Tu verò magnitudine tua & cubitis fruere. Deinde subdit. Quòd si hoc quoq; adijcias, eam orationis causa curuam esse, ac per ingentes mentis agitationes, perpetuam cum Deo consuetudinem habere, quid hinc de tua sublimitate, corporisq; mensura iactabis? Vide tempestiuum silentium: loquentem audi, quam incomta sit animaduerte, quam ut femina fortis ac strenua, quas rei domestica utilitates afferat, quam viri amans, ac tum illud Laconis dices: Certè animus in mensuram minimè cadit, atq; externum hominem oculos coniectos in internum habere oportet. Ita eam ut paruum deridere desines, & tuum coniugium faustum ac felix indicabis. Hæc D. Gregorius Nazianzenus scripsit ad Nicobulum. Quæ ubi in alijs quoque paruis hominibus habent*

habent locum, nihil utique conqueri possunt, cum corpore quidem alijs cedant, anima autem eosdem excedant, ac proinde meliore sui parte sint meliores.

§. V.

Forma deficientis compensatio.

Alijs in statura, alijs in forma aliquid deest, sed sunt & hinc suæ compensationes. Exempli instar haberi possunt duæ sorores, filia Laban. Hic habebat duas filias, nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu. Vtramque duxit Iacob. Videns autem Dominus, quod despiceret Liam, aperuit vulvam eius, sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. Rursumque concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi, vocavitque nomen eius Simeon. &c: Vides compensationem? Rachel pulchra erat, sed infæcunda? Lia lippiebat, sed & pariebat; ita quod vni deerat de forma, accessit illi à prolis gloria; & quæ gloriabatur forma, sterilitate humiliabatur. Vult enim

Genes. 29.

16.

Herodot.
lib. 2. &
Plin. lib.
36. cap. 12.

enim nihil, in hac vita, omni ex parte beatum esse Deus, vt ad aliam beatitudinē aspiremus; neque etiam omni ex parte miserum, ne deiciamur, videntes tristibus iucunda misceri. Æsopi quoque deformitas ab ingenio & sapientia fuit excusata. Noluisset formosus & stupidus esse. Præstat testam Cretico vino, quàm crystallinum calicem Germanicâ cereuisiâ plenū habere. Quid? Rhodopenē roseo aspectu impudica, an deiectis oculis modesta Lydvina laudabilior est? Denique eadem est conditio mortalium, formosi pariter ac deformes senescunt, ac moriuntur. Sed formosi ægrius, quia in contrariam mutantur deformitatē: minore opus est mutatione ijs, qui iam antè sunt deformes, & fame exangues, qui clausis oculis caduera putantur antè, quàm sint.

§. VI.

Aurium defectus aliunde compensati.

Nunc singulorum defectus membrorū aliunde adiutos percurramus, atq; ab auribus, in quibus est disciplinæ sensus, incipiamus. Hunc sensum sæpe ars compensauit, natura correxit, ingenium impleuit, mutus magister docuit aliunde pete-

re.

re. Memorat Franciscus Vallesius; Petrus Pontium D. Benedicti Religiosum natos surdos loqui docuisse, non alia ratione, quam ut eis ostenderet primò, quo modo scribendum esset, res ipsas digitis indicando, quæ characteribus illis significarentur, ac deinde ad motus linguæ, qui characteribus responderent, prouocando. Sic quæadmodum audientes per loquelam discunt scribere, surdi per scripturam discunt loqui. Plus est, quod alius Author de surdis & mutis scribit in hunc modum: *Apud nos, ait ille, sanè habemus, adhuc adolescentem & virginem, ex iisdem parentibus, & quidem celebri & honesto genere prognatos, qui peculiari acumine ingenij sunt præditi. Et licet mutos & surdos eos ambos natura procreauerit, tamen uterque scite legere, & scribere elegantissime, nec non & rationes mercatorias computare potest. Vt autem hic ex nutu, quæ sibi faciendæ sunt, dexterè percipit, & si deest calamus, gestulationibus suas cogitationes exprimit, nec non & in omnibus alea lusibus, qui apud nos vsitati sunt, & non sine accurata ratiocinatione perfici possunt, excessit: ita illa acu & ingeniosa textura alias puellas facile superat. Inter ceteras autem mirificas dotes,*

Oo

quas

Franciscus
Vallesius
de sacra
Philos.
cap. 4^o

Phil. Cap.
merar.
Cent. 3.
Horar.
subseci-
uar, c. 37^o

quas illis natura compensauit, memorabile
 est, quod ex motu labiorum interdum percipi-
 re videntur, quid aliquis loquatur. Vnde vi-
 deas eos conciones sacras sapissime frequentare,
 ut aliquis non absurde dicere posset, videri,
 intentis oculis, visu eos haurire, quod alij audi-
 tu facere solent. Siquidem orationem Domini-
 cam, aliasq; pias preces, quando volunt, absq;
 suggestione, alijsue adminiculis, scribunt,
 Euangeliaq; festis diebus destinata non secus, ac
 alij, memoria comendant, ita ut expedite ea
 scribere possint. Quod si in templis salutiferis
 nomen IESV Christi profertur, hic, praece-
 teris, in cœtu, detracto pileo, & genu flexo ve-
 nerabundus conspicitur. Adeo natura, veluti
 fidelis mater, compensando sollicita & studiosa
 est, ne tanquam dura nouerca merito accusari
 possit. Quod enim in alijs sensibus adimit, in
 alijs restituit. His confirmandis nefas mihi
 ducere, omittre domesticum exemplum,
 quod mecum sapissime etiam alij complu-
 res experti sunt. P. Paulus Layman, vir in
 quo pietas cum eruditione conspirauerat,
 fistulae aeneae incauta explosione, prope au-
 res illius facta, in solenni quadam suppli-
 catione, vim audiendi prope omnem ami-
 sit. Assidua postea oris loquentium obser-
 uatione

uatione didicit visu percipere, quod non poterat auditu. Et sunt authores, qui dicant ipsas litterarum figuras exprimi conformatione labiorū, quæ dum I. pronunciant, contrahuntur, dum O, in circulum rotundantur. Ego planè in quadam Bauariæ arce, non procul Brunouio, vidi apud Illustrem Dominum Baumgartnerum surdam pariter & mutam ancillam, loquentes ex oris figura intelligentem; quæ etiam quia verè muta persona erat, nutibus ita omnia facta totius familiæ hero exprimebat, vt linguâ non videretur clariùs expressura. Simile quid sibi à fratre suo Ioachimo ex Cattis peregrè reuerso relatum scribit Philippus Camerarius his verbis. *Nuper, inquit, apud Illustrissimum Principem VVilhelmū Landgrauium Hassia,*

Phil. Camerar.
Cent. 1.
hor. subsec. c. 86.

vidi puerum mutum & surdum adeò ingeniosum, vt mirari eius solertiam, in exequendis rebus sibi comisissis, non satis potuerim. Siquidem ex unico nutu deprehendere mox is certò potuerit, quid Princeps & aly vellent. Longè autem superat mutum illum nostrum gesticularium in aula Pabebergensi, quamuis & illi natura, quod in duobus sensibus negabat, alijs in rebus miro quodam fœnore abunde compen-

O o 2

sârît.

sârit. Landgravius cum ita me mirabundum videret, Ecce, ait, quidquid inter ciues & aulicos noui accidit, quamprimum resciscit, id omne, qualecumq; sit, suis gesticulatorijs notis dexterrimè indicare solet. Sed audi praterea insigne diuina iustitia exemplum. Mater eius furti fuit accusata, qua cum videret, se alio modo crimen purgare non posse, confugit ad imprecationes; cumq; esset eo tempore grandida, vt maius pondus verbis adderet, inter alias imprecationes dixit: Si vera essent, que illi obicerentur, se optare, & à DEO petere, vt fœtus ille, quem gestaret utero, in lucem editus ne verbulum proferre posset, sed dum viueret mutus maneret. Quod postea, vt vides factum est, & ipsamet sese suis imprecationibus prodidit, furtoq; periurium adiecit. Quæ enormia delicta etiam in filio punita fuere.

§. VII.

Monstrosarum aurium utilitas.

Mela lib. 3. cap. 3. Sed, vt vera quoque aurium monstrum, sat mali sunt in insulis Septemtrionalibus, inquit Mela, quibus magne aures, & ad ambiendum corpus omne patula, nudis alioqui, pronecte sunt. Asininæ aures de longitudine sua turpes videntur, quanta censetur

sebitur in his turpitudine? At turpes videntur licet, tamen vtilis sunt. Utuntur enim hi populi tam prolixis auribus, & culcitra loco, & vice pallij, & pro lodi-
 ce, aliove tegumento. Hinc Plinius in-
Circa Pontum insula sunt Scythica, ubi Fanestorū gens nudo alioqui corpore, tam grandes aures habet, ut tota ipsorum corpora contegant. Et Solinus tradit: esse insulas, & Fanestorum gentem, quorum aures adeò in effusam magnitudinem dilatentur, ut reliqua viscerum illis contegant; nec amiculum aliud sit, quam ut membra membranis aurium vestiant. Pigafetta testatur, quibusdam in insulis non admodum remotis ab insulis latronum, adeò longas hominibus aures esse, ut instar collarium (Almodicorum) per humeros fluant, & brachia ipsa tegant, utq; videantur coriaceas pennulas, aut carneas epomides chlamydesque gestare. Sed longè quid luculentius scribit Ma-
 ximilianus Transilvanus, in insula Gilon, quæ intra Molucas annumeratur, gentem esse, cuius tam grandes aures sint, ut non solum super humeros propendeant; verum etiam ut super vna, tanquam super molli calidoque lecto, iaceant; alterâ verò vni-

Plin. l. 4.
 nat. hist.
 cap. 13.

Apud Ramus to. 1.

uersum corpus, velut lodicula aut sifterio cooperiant. Quis hîc naturam accuset, quæ in auribus dat, quod alij emunt multis pecunijs? cum illis enim præbet nudis vestem, lectum lassis, frigentibus calidum tegumentum. Fateor hæc facilius narrari, quàm credi: sed nihil credemus, si, quæ ipsi non vidimus, non credenda iudicamus.

§. VIII.

Monstroforum pedum utilitas.

Plutarch. Hanc vim naturæ defectuumque natura de amore raliū compensationem Plutarchus quoq; Prolis, non indiligenter considerauit, in alijs Solin. membris; nos pedum errata suis commodis solatijsq; non carere, nunc docebimus. cap. 53.

Plin. l. 7, Gens reperitur, apud Indos, vno tantum nat. hist. pede. Ast eo vno, licet poplitem non flectat, saltuatim perniterq; currit, & multos anteuertit vtroque pede gradientes. c. 2. Gell. lib. 9. c. 4. Isidor.

lib. 11. c. 3. Quin vbi solis æstus capita eius populi ferit, homines illi vnipedes, in terra resupini iacentes, vmbra pedis sursum erecti, latiore, quàm si ab Ionica columna proijceretur, suauissimè proteguntur. Quæ de causa *Sciopodes* appellantur. Fuisse talia monstra, in foro Carthaginensi, juxta portam pictas, testatur etiam D. Augustinus

Pinus. Possent dici compendium naturæ, quæ in pede suppeditaui, quod alij quærunt sub arbore, aut tectis. Extra siluas enim isti, & extra tecta inumbrantur; atque sine pauonis cauda, aut muliebri flabello suauissimè refrigerantur. In Tartaricis quibusdam locis comperti sunt, quibus vnicum crus ac pes, & vnicum est in pectore brachium. Igitur, vt Ioannes Apostolicæ sedis ad Tartaros legatus, alijq; testantur, industria vicem alterius cruris brachiué implet; immò brachium & crus ita conspirant, vt sint miræ pernicitatis; manu enim simul ac pede alternatim terram, rotarum in modum, contingentes, tanta celeritate currunt, vt Pegafos anteuertant. Brachio fatigato, vnius pedis immodicis saltibus celerrimè promouentur. Quinetiam in venationibus, & contra hostem sagittariorum officium non intermittunt. Quippe quod vnus nequit, bini præstant, dum alter arcum tenet, alter tendit, sagittamq; adducto nervo, euibrat. Ita manus manum iuuat, & quod vnus efficere non valet, duo consequuntur. Nempe etiam hoc Christianos par esset imitari, vt preces ad cælum fortiùs eiacularentur.

S. Augu-
 stin. l. 16.
 de ciuit.
 cap. 8.

Vincent.
 hist. lib.
 31. cap. 16.
 Antonin.
 tit. 19. cap.

14.

Matth. 18. Neq; enim sine causa dictum est: *Vbi sunt*
 20. *duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi*
 Gal. 6. 2. *sum in medio eorum; Et illud: Alter alterius*
 1. Cor. 12. *onera portate. Sumus enim corpus Christi, &*
 27. *membra de membro; & Frater, qui adiun-*
 Prou. 18. *tur à fratre, quasi ciuitas firma: & iudicia,*
 19. *quasi veſtes urbium.* Siquidem, etiam in
 re ſpiritali, duo ſunt vno fortiores, &
 quod iſti deſt, ab altero accedit. Vnus ar-
 dentiùs, alter demiffiùs orat. Sed hoc nunc
 non agimus, corporis defectum oſtendi-
 mus mentis inuentione, induſtriaque na-
 turæ, aut beneficio Numinis compenſatū.

§. IX.

*Manuum & brachiorum compenſatio ad-
 miranda.*

Et quia de brachijs mentio facta eſt, ma-
 nusque quæ ſunt, vt Philoſophus ait, in-
 ſtrumenta instrumentorum, ſine brachijs
 haberi non poſſunt, afferam & hîc exem-
 pla partim à me viſa, partim ab alijs nar-
 rata, quæ mirificam quandam, etiam in
 his maximè neceſſarijs membris, naturæ
 induſtriam compenſationemq; oſtendunt.
 Quippe nati ſunt, qui vtraque manu, im-
 mò ambobus brachijs carentes, pedibus
 omnia ferè ea, quæ alij manibus, quàm
 dexter-

dexterrimè perfecerunt. Atque vt paulò
superiùs à me dicta confirmem, Oder tra-
dit, in regia magni Cham, non paucos in-
uentos esse, qui brachijs priuati, pedibus
nulla prorsus minore agilitate, quàm reli-
qui manibus sagittam longissimè euibra-
rent. Et Cælius quoq; cum Dione refert,
inter munera Augusto ab Indis missa, fuisse
& adolescentulum sine humeris, qui tamē
pedibus manuum functionem obiret. Nam-
que arcum intendebat, sagittas etiam ex-
cutiens. Quin & tubas inflabat. Sed meos
oculos testes adducam, & rem visam, non
fama duntaxat acceptam referam. Anno
Christi 1628. Ingolstadij, in Collegio Ig-
natiano multis Perillustribus, Generosisq;
Dominis, ac nobilissima studiosorum coro-
na præsentibus, sederamus expectatione
noui alicuius spectaculi intenti, cum ecce
mediocris staturæ vir in conclaue ingredi-
tur, magnificis passibus, pallio in hume-
rum contorto inuolutus, atque ante men-
sam, theatri loco, appositam, reuerentiam
spectatoribus exhibet ignaris, quid specta-
turi essent. Præmissis hoc cærimoniarum
honore, pallium ore mordicus apprehen-
dit, & à se expeditissimè super mensam

Oder.
post. ante
fin.

Cæl. l. 4.
Antiq.
Lect. 6, 12.

proijcit; quo amoto euolutus ipse astat statuæ instar truncatæ, ab humero deorsum planus, tanquam trabs quædam vestibus induta, aut trophæum cui arma appenduntur. Carebat enim ambabus manibus, & utroque brachio erat destitutus. Mox in mensam insilijt, & excussis calceis, paulo plus, quàm primores pedum digitos ostendit, quos habebat haud multò, quàm nos, longiores. Illis tamen omnia faciebat, quæ alij manibus solent. Nam in primis musicum organum scitissimè pulsabat, & si, qui folles attollens ponè astat, negligentior se ostendisset, plano pede alapam illi excussissimam dabat. Tum panem, carnes, aliaque iisdem pedum digitis cultrum tenens scindebat. Quin & vitrum leuabat, vno pede, alteroquè cantharum, sibi què ipse infundebat; & nunc vitrum, nunc cantharum ori admotum exhauriebat. Postea & chartis pictis cum socio ludebat, eas miscens, distribuens, tenens, atque in mensam cum sonitu proijciens, non secus atque alius omnibus membris integer homo. Denique calamum arripiebat, & pulcherrimos characteres scribebat; quod què magis mirandum, & acum sumebat, quam
flo

filo traiiciens, quouis factore citius ne-
 bat & suebat. Itaque quicumque eum vide-
 bat operantem, manus dicebat ei, non
 officia manuum defuisse, aut certè manus
 ipsas in locum pedum demigrasse. Ad quod
 confirmandum, non omitam hìc, quæ in
 hanc ipsam rem, non ineruditus author
 collegit, verbatim exscribere. Sunt autem
 hæc. *Mira est providentia, & sollicitudo Na-
 tura, quam Creator omnium rerum ei, tan-
 quam optimæ matri attribuit. Ea enim, in
 animalibus membris distortis, vel mutilatis,
 aut debilitatis, vel etiam omnino deficientibus,
 plerumq; alijs membris, præter suum officium,
 ad quod destinata sunt, tale robur & dexteri-
 tatem, ex diuturna consuetudine, suppeditat,
 ut dicere aliquis possit, non in distinctione mem-
 brorum, sed in continuo usu perfectionem con-
 sistere. Hac de re sæpius cogitavi, cum essemus
 Comburgi, apud verè nobilem & præstantissi-
 mum virum D. Erasmus Neusteterum. Is
 enim cum nulla benignitatis & humilitatis
 erga nos prætermisisset officia, iussit accersiri,
 ex vicinis Salinis Suevicis Thomam Schvvei-
 ckerum, natum xxxi annos, & quidem hone-
 stis parentibus, quem licet mater sua absq; bra-
 chys in lucem enixa fuisset, omnia tamen mu-
 niæ*

Philipp.
 Camer.
 cent. 1.
 horar.
 subsec.
 cap. 37.

nia manuum, pedum subsidio ita exequebatur,
 ut quod in uno desideraret, in altero compensa-
 tum sibi esse affirmare non erubesceret. Nam
 cum in editiore loco, qui aquaret altitudinem
 tabula, in qua esculenta apposita erant, conse-
 disset, apprehenso pedibus cultro, scindebat pa-
 nem, & alios cibos. Pedes ea postea, nec non &
 potum, veluti manus, ori porrigebant. Pera-
 cto prandio pedibus pingebat nobis omnibus vi-
 dentibus elegantes Latinas & Germanicas lit-
 teras, ut exempla eorum, quasi rem insolitam
 nobiscum sumserimus. Postulantibus etiam no-
 bis cultello parabat calamos ad scribendum
 aptissimos, quos postea nobis donabat. Quum
 esset ita occupatus, diligenter inspexi formam
 pedum, quorum digiti erant ita oblongi, & ad
 res tenendas apti, ut procul aspicientibus ma-
 nus (pallio enim suo verecundè admodum cru-
 ra tegebat) viderentur. Hoc spectaculum nobis
 sanè iucundum & antea non visum, iussus
 etiam fuerat paulo antè Casaræ Maiestati,
 cum illac transfiret, exhibere, quæ hanc mi-
 randam Naturæ compensationem non absq;
 munificentia, lubens spectavit. Et paulò infra.
 Similis homo mancus, videlicet absq; brachijs,
 nostro tempore fere totam Germaniam perua-
 gatus est, qui collo & mento gladium vibrare,
 hastilia

hastilia iaculari, & alia multa mira dexteritate, & ita certò, longa consuetudine, qua velut in artem transierat, didicerat, ut à proposito scopo rarò, aut nunquam aberrare solitus sit. Multis hæc annis antè in lucem sunt edita, quàm ego suprà à me descriptum subtilem truncum, viderem, ut proinde idem esse non potuerit. Quare in pluribus natura ostendit, se, quod in vno aufert, in alio reddere, ac proinde non nouercam, sed matrem agere.

§. X.

Cacitas oculorum manuum dexteritate compensata.

Quanquam in nullo sensu est hæc mater mirabilior, quàm qui solet esse mortalibus charissimus, hoc est in sensu oculorum. Fuit Anno Christi 1612. Ingolstadij, iuuenis arcularius, qui à natura quidem lumen vtrumque acceperat, sed postea, ut opifices isti solent, die quodam festo ac vacuo, temporis fallendi gratia, fistulam æneam expoliebat, parabatq; futuro certamini iaculatorum, qui metam pariter & præmium posuerant. Ibi, dum nitratum puluerem incautiùs tractat, incensus ille inopinato simul ac miserando casu

casu

casu, cum impetu exiliit, iuuenemque
repentè vtrimq; exoculauit. Oculis orbis
in hospitalè domum receptus est, in qua
noluit otium agitare. Primùm igitur ipse,
vt in media senum vetularumq; turba se-
cretus habitaret, sibi lectum, & exigua
iuxta locum tabulis circummæniuit. Ne-
que alium arcularium adhibuit ad eam ar-
chitecturam. Ipse sibi canterium cæcus
exasciabat; ipse asseres, ad circini mensu-
ram, ferræ lamina secabat; ipse sectos as-
seres runcina dolabat, læuigabat; polie-
bat; ipse glutino ferruminabat; itaq; con-
clauè totū concinnabat, vt putares, Dæ-
dalum ipsum suam ibi operam impendisse.
Eo thalamo in hunc modum disposito eti-
am ornatum addebat. Quamuis enim cæ-
cus nullū de coloribus ferre iudicium pos-
set, tamen vndique imagines ad parietem
affigebat, de vita & morte Christi serua-
toris, quas omnes poterat ijs, qui eum vi-
sitabant, ordine demonstrare, & verò eti-
am sigillatim exponere. Quod faciebat,
vt alijs quoque ingereret cogitationes san-
ctas, quibus ipse quotidie (mente effigies
illas circumiens,) Christum patientem si-
bi depingebat. Neque cogitando tantum
postea

postea tempus triuit, sed ne artis suæ obliuisceretur, quod visus negabat, à tactu exegit. Itaque quæ olim oculis hauserat, memori mente tenens, etiam amisso oculorum vñu, conatus est manibus effigiare. Multa proinde variaq; fecit, venitq; breui ad eam artis perfectionem, vt eum etiam oculati non possent imitando superare. Tam accuratè digitis mensuras, distantias, proportiones, figurasq; omnes palpare nouerat, vt duo minutiora molendina (quæ piperi molendo idonea essent) cum scalis, cum orca, cum rotis, cum radijs, cum dentibus & axibus, cum omnibus denique rebus perfectissimo molendino necessarijs, ad amissim, atque tam exactè cultro exsculpere architectariq; nosset, quàm vllus Vitruuius docere. Vnum ego horum molendinorum ipse vidi, quod mihi architecton, vti & alia, demonstrauit; alterum dicebat, Monachium, ad res Principis raras & artificiosas, in pinacothecam; translatum esse. Cæterum ita pius erat hic cæcus, vt clausæ duntaxat, quæ mors intraret, fenestræ, vitijsq; obstructâ iter, non autem ingenij artisq; exercendæ facultas adempta illi videretur.

Francisc.
Petrouch.
lib. 2. de
remedijs.
vtriusque
Fort. c. 96.

§. XI.
Oculorum sensus animi sensum impedit.

Solent, qui alterum oculorum amiserunt, altero, ut aiunt, acutiùs videre. Id si ita est, ait Franciscus Petrouch, quid rear, nisi ut duobus perditis, duobus alijs acutissimè videas, & tuum facias illud Tyresia cæci nati, sed famosi:

Obruit ora Deus, totamq; in pectora lusem Detulit.

Quippe experientia docet, eos, qui oculis capti sunt, vel natura, vel casu, ceteris hominibus, qui visu præditi sunt, esse plerumq; ingeniosiores. Quanquam enim sensus oculorû sit omnium sensuum acerrimus & præstantissimus, multa tamen extrinsecus obiecta, per oculos ad animum penetrant, quæ illius serias cogitationes interturbât, & industriæ obstant, dum sese identidem consilijs maioribus miscent, eaq; in imaginatione exprimunt, quæ attentionem rumpunt & contaminant. Hinc & nos aliquid intentiùs meditaturi, à turba secedimus, oculos claudimus, noctem ipsam captamus. Est enim nocturnum tempus ad consultandum maximè idoneum; & tenebræ accuratiore reddunt commentationem:

tationem: quæ cum sint in cæcis perpetuæ,
mentem diutiùs in vna re fixam collectam-
que tenent.

§. XII.

Cæcorum mirifica ingenia.

Multa possunt & mira huius rei dari ex-
empla. Q. Asconius Pedianus Grammati-
cus atque historicus, cum septuagesimo
sue ætatis anno oculis captus esset, atque
ita duodecim annis vixisset, per sanè ele-
ganter quasdam historias, diligentia in-
dustriaque, superato ætatis atque oculo-
rum impedimento, teste Fulgoso, perscri-
psit. Nimirum oculos in manu habuit,
quem ingenium docuit, sine oculis scribe-
re. Quam laudem etiam Appio Claudio

Cic. in
Bruto. &
l. 4. Tus-
cul. q. q.

tribuit sumus orator, de quo Poëta ait:
Multum animo vidit, lumine captus
erat.

Et alius: *clarissimus omnium, quos famosos*
cæcitas habuit, Appius Claudius, at re cæcus,
& nomine, qui cæcitate pressus ac senio, non
privatis modò consilijs à populo noscebatur,
quisquis in iure, vel in factò scrupulus incidis-
set; sed auctoritate ac sententia senatum rege-
bat, uniuersamq; rempublicam gubernabat.

Francisc.
Petrouch.
l. 2. c. 96.
de remi
vtr. fort.

Cæsar de Bus Anno 1607. sanctissime de-

Gaulter.
in Chro

Pp

functus,

no log.

An. 1607.

Petrarch.

l. 2. c. 96.

functus, corpore cæcus, tantum animo vidit, ut dicere soleret, se visum ne teruncio quidem esse empturum. Vidit enim, se cum oculis multa simul vitæ fastidia perdidisse, & amisisse frontis oculos, pectoris acuisse. Huic subiungere possumus *Homerum* & *Democritum*, quorum alter, ut fama est, dum mira illa ac diuina dictaret, oculis non videbat, animo lynceus. Alter sibi oculos eruit, ne videret multa, quæ, ut ipse arbitratur, veri visus aciem impedirent: cuius factum quàm vel laude, vel vituperio dignum fuerit, non disputo, sed inuenit imitatores, &c. *Diodorus Stoicus*, sed familiaritate *Ciceronis*, quàm secta notior sua, visum perditum auditus solatio leniebat, cum ei, ut *Cicero* idem ait, libri noctes & dies legerentur, quibus in studijs oculis non egebat. Hic & *Philosophia* simul & fidibus, quodq; sine oculis fieri vix crederes, geometricis quoq; descriptionibus operam dabat, & alienis manibus lineas protrahi iubens suo de illis ingenio differebat. *C. Drusus* absq; oculis, sed iuris *Ciuilis* notitia tanta fuit, ut domus eius consultorum frequentia quotidie repleretur. Et videbant illi, quàm iretur ad forum rectius, quàm iretur ad causse victoriam non videbant, atque ideò cæci ducis patrocinium

ciniū implorabant. Menti ergo reddidit
 lumen Deus, quod corpori negauit. Idem
 accidit Didymo, de quo Ruffinus tradit: *Ruffin.*
 Cū luminibus oratus esset, eum, adhi- *lib. 2. Ec-*
 bitis pijs precibus, studia ad laborem ac *cles. hist.*
 iuges continuatasque vigilias, non ad le- *cap. 7.*
 gendum, sed ad audiendum, vt, quod
 alijs visus, hoc illi conferret auditus, adhi-
 buisse, eaq; indefessa diligentia, docente
 Deo, in tantam diuinarum humanarum-
 que rerum eruditionem & scientiam ve-
 nisse, vt scholæ Ecclesiasticæ Doctor existe-
 ret. *Quem*, vt Franciscus Petrarca ait,
cacum ab infantia, inq; hac cecitate, vsq; ad
exitum, summo virtutis exercitio insignem
sacer Antonius senem visens nihil moneri debe-
re ait, eo quod oculos amisisset communes sibi
cum muscis, & muribus, & lacertis, sed gau-
dere, quod oculi communes illi cum Angelis
salui essent. Hausit hoc Petrarca ex libro
 4. Eccles. hist. c. 25. Ac ne vetera tantū
 esse exempla putemus. *Notum est, inquit* *Phil. Camerac.*
 subseciuarum author, *fuisse, maiorum no-* *Cent. 1.*
strorum tempore, Ioannem Ferdinandum, na- *cap. 37.*
tum in Flandria, patre Hispano, cacum, &
præterea inopem. Quas tamen ambas difficul-
tates admodum contrarias hominibus doctis,

ita superavit, ut non solum Poëta & Philoso-
 phus insignis euaserit, sed etiam tam eximius
 Musicus, ut cum maxima audientium de-
 lectatione varia genera Musica tractaret, atq;
 insuper cantilenas aliquot vocum artificiosissi-
 mas memoriter componeret. Hunc tamen lon-
 gè superavit Nicasius de Verda Mechlinia
 natus. Qui licet ab anno tertio etatis oculis ca-
 ptus, & ob id etiam elementorum litterarum
 penitus ignarus fuisset; tamen nihilominus in
 omni doctrina diuina & humana adeò profe-
 sit, ut admirationi omnibus esset; & cum Lo-
 uaniy gradum Magisterij accepisset, scholis
 aliquamdiu Mechlinia, cum laude, praeset,
 & Louaniy aliquanto, post Licentiam, in Theo-
 logia, consecutus, cæcus quamuis, Euangelium
 tamen publicè docuerit. Quin, & post hac,
 gradum Doctoris vtriusq; iuris in Academia
 Coloniensi cum accepisset, in gymnasio publicè
 ibidem Iura, cum stupore omnium, docuit, at-
 que libros Vtriusq; Iuris, quos nunquam vi-
 derat, & legerat, memoriter recitauit, donec
 Colonia moreretur, Anno 1492. Quid hunc
 facturum fuisse putemus, si oculos habuis-
 set? Certè cæcus illos iubet erubescere,
 qui cum oculos præstantes habeant, in
 Academijs versantes, non solum libros,
 sed

sed ne scholas quidem ipsas intuentur. Et fuit, qui in patriam rediturus, ac testimonium diligentiae petiturus, Professore suum nec de facie quidem nosceret, cui de cetero noti erant alij omnes anguli ciuitatis.

§. XIII.

Caci venatoris ingeniosa industria.

Longè quid mirabilius, de suppleto oculorum defectu legi, apud Panormitanum, in quo quidè cæcus non se ad litteras memoriasq; veteres dediderat, non inscium tamen, aut inutile ministerium meritoq; obstupescendum fuit. *Audiuimus*, inquit, à rege (Alphonso) *cacum natura Agrigenti adhuc viuere, quem saepe numero ducem venationis habuisset monstrantem his ipsis, qui oculis cernerent, ferarum saltus & latebras;* sed & de huius industria mirū adiecisse: Nempe habuisse hunc aureos ferme quingentos, deq; his valde sollicitum, statuisse in agro defodere, defodientem à vicino eius compatre conspectum, eoq; abeunte, pecuniam ablatam. Quum verò paucis diebus thesaurum reniseret, neq; inuenisset, animo angi, discruciaris, exedi, neq; alium coniecturare, nisi vicinum compatrem surripere potuisse, accessisseq; ad

Anton.
Panorm.
de dictis
& factis
Alfonsi
regis l. 3.

illū, atq; dixisse, esse quod consulere eum oporteat; Tenere se aureos mille, quorum partem dimidiam abstruxisset jam in tuto loco, de reliqua autē dimidia anxium esse, utpote cæcum, & rerum perquam incommodum custodem. Propterea, si ei quoq; visum fuerit, hoc reliquū in eodem loco illo tuto quidem trudi, & abscondi posse: compatrem approbasse consilium, & prope præcurrisse, quingentosq; aureos, unde nuper effoderat recondidisse; ratum totos mille sibi nequaquam defuturos. Post hæc cæcum in agrum recurrisset, repertaq; pecunia compatrem appellando exclamasse, CÆCUM OCULATO MELIUS VIDISSE, latumq; reddidisse. Hæc ingenij argutia olim digna fuisset habita, ut pro ea Menti Deæ supplicaretur. Sed quo pacto cæcus, in venatione videntibus potuit ferarum saltus & latebras monstrare? Erunt, qui dæmonis arti id ascribant. Verū temeritas est, quod non capis animo, illico ascribere magiæ. Potuit odore, quod non potuit colore deprehendere cæcus. Cū enim, ut in tot exemplis iam vidimus, natura in vno sensu compenset, quod in altero adimit, cur cæco isti, quod abstulit in visu, non potuisset reddere in odoratu? Quod si fecit, iam cessat

S. Augu-
stin. l. 4.
de ciuit.
cap. 21.

cessat quæstio. Quemadmodum enim neque canes visu ferarum latibula, sed odoratu duntaxat indagant, ita existimandum est, idem in cæco contigisse, in quo maior virtus esse potuit, quàm in bestijs sit odora-
canti vis. §. XIV.

Exemplum cæci, per nasum videntis.

Adhuc mirabilius aliquid legi, de quo Apollo cælis pex sandalariusve, aut medicus, meritò senatum conuocet; & legi in recentissimo authore, cuius verba hæc sunt. *Non reticebo historiam, quæ humanum captum videtur superare, & quæ à Clar. Baldo amico præcipuo idoneis allatis testibus Plazero & Ioanne Rungio l. 1. prax. Disp. de vis. symist: verbis Henrici Smetij oculati testis, lib. 5. Miscel. Medic. Ep. 13. hoc pacto descripta omnino extat. Cæcum, inquit, quendam utroque oculo orbem naso pro oculis utentem vidi, cuius beneficio obiecta omnia discernebat. Is dextro oculo ante annos multos, cum puer esset, priuatus fuerat, tandem iuuenis factus (rusticus erat) ex ceraso in palum dum ligneam fastigiatum delapsus, vultum impegit, ut nasum, unà cum oculo sinistro, genâ, palpebra utraq;, & supercilio disrumperet, adeò fœdè, ut Chirurgus oculi globum auulsum prorsus cre-*

Hieron.
Bardus
Genuens.
in Medico
Politico
Catholico
cap 4.
Appen-
dice 1.

deret, eumq; palo inhaesisse. Cicatrice tandem
 inducta, post annum ab accepta plagâ, dum
 in gramine apricatur, fortè lucem, ac floscu-
 lorum candorem humi animaduertere occipit
 per nasi cavitatem: & iam per quinque, aut
 sex annos continuos visionem eo modo exercuit,
 ut quidquid offeratur, naso oculato distinguat
 exactè, sed despectando: suspectando enim lu-
 cem ferre nequit. Hac Smetius. Auctores Ci-
 tati, dum causam & modum querunt tam
 portentose visionis, ita philosophati sunt, quòd,
 sicuti palpebra superior abrupto musculo at-
 tolli amplius non poterat, sed conglutinata quo-
 que cum adnata oculi coaluerat: ita etiam,
 auulso musculo, qui oculum versus oculum ex-
 ternum retrahere solebat, pupilla in angulum
 nasi internum se prorsus abdiderat; & quia
 ossilla nasi non fracta modo, sed & luxata quo-
 dāmodo concinnè restitui non potuerunt, acci-
 dit, ut nasus pressior latiorq;, sinistra preser-
 tim parte; euaserit: adeoq;, eiusdem naris me-
 tum potentiolem curatio reliquerit: per quem
 distorta latitansq;, pupilla videndi munus obi-
 bat, & res quaslibet naso obuias interno-
 bat, quasi per dioptram, seu fistulam. Porro hic
 constat globi ocularis, ipsorumq;, visus instru-
 mentorum saluam atque integram extitisse

compagem, et si secus crediderat Chirurgus & adstantibus persuaserat. Sed superat omnia portenta, quòd olim Heidelbergæ contigisse, à Matt. Vuaggero narratum sibi scribit Keplerus; nempe, quendam, oculo altero amisso, altero manus palma tectò, si splendens quidpiam infra nares sisteret, splendorem agnoscere, atque etiam internoscere quadamtenus potuisse. Sed audiamus Keplerum, qui sibi ita persuaderi passus est, dum ait: Spiritum animale ibi tum lucis & coloris fuisse receptorem, uti alias oculo integro retinam tunicam: lucem verò & colorem per hiatus aliquem è naso sursum in vacuam oculi cameram, & caput, adq; nervi visorij extremitates spirituum sedem, porrectos esse, vel certè olfactus instrumenta tantum potuisse, in quo fortassis etiam isdem spiritus diffunderentur. Hæc ex Hieronymo Bardo Genuensi, quæ Philosophis materiam propinant disputandi, qui vel crucè ijs figent, vel apologema pro ijs condent. Cur enim obiecti species non possint per nares, præsertim adeò laxas & amplas ad oculum immitti? Rectis debent illæ lineis ire? Esto. eunt rectis, si pupilla oculi deorsum sit eversa. Neque necesse est, ut vel oculus, vel medius aër illuminetur, sat lu-

minis secum vehunt species ab obiecto illustrato. Sed hæc ad scholas remitto. Mei muneris est, in hoc casu rectas videndi vias amissas, rimam tamen inuentam, per quã visus posset compensari, ostendere. Quod meritò inter mirabilia naturæ ponitur.

§. XV.

Aliquos Sanctos alijs sanitatem à Deo impetrasse, qua ipsi caruerunt.

Nunc à miris & mirabilibus naturæ ad diuina miracula venio, & dico, conqueri mortales non posse, si pro plumbo aurum, pro vitro gemmas commutent. Sæpe enim diuina bonitas, dum monstris aliquid, quod naturæ eorum conuenisset, adimit, eius loco substituit donum aliquod supernaturalis. Domesticum præsto esto exemplum. P. Ferringo, vnus è Societate IESV, qui magna sanctitatis fama Leuiæ diem suum obiit, ipse multis annis cæcus, tribus cæcis visum redhibuit: adeò liberaliter cum eo egit Deus, vt pro duobus sex illi oculos redderet. Neq; est rarus hic, apud diuinum tribunal agendi modus, vt sinat sanctos suos, quod ipsi non habent, alijs impertiri. Ita ab ægro, ac morituro S. Episcopo Cuthberto sanitatem accepit, qua

qua diu caruit, Vualchstod. Quod miraculum cum narrasset venerabilis Beda, colophonem hunc addidit: *Non autem dubitandum, supernae pietatis hoc dispensatione procuratum, ut qui multos antea sospes ad huc, valensq; curauerat, hunc quoq; moriturus curaret; quatenus hoc quoq; indicio pateret, etiam corpore infirmatus vir sanctus, quantum spiritu valeret. In qua profecto curatione sequebatur exemplum sanctissimi & reuerendissimi patris Aurelij Augustini episcopi, qui dum pressus infirmitate, qua & mortuus est, decumberet, venit quidam cum suo agroto, rogans, ut eidem manus imponeret, quò saluus esse posset. At ille, Si, inquit, aliquid in his possem, mihi hoc utiq; primitus prestissem. Rursus is, qui venerat, Te, inquit, visitare iussus sum: siquidem in somnis dictum accepi, Vade ad Augustinum episcopum, ut eidem manus imponat, & saluus erit. Quo ille audito, mox agrotanti manum benedicens imposuit. Nec mora sanatum ad propria remisit. Hæc Beda. E quibus videre est, multos alijs sanitatem atq; vitam à Deo, manifesto sanctitatis argumento, impetrare, qui ipsi animam efflant, in oculis atque manibus eorum, quos sanauerunt. Ostendit enim sapientis-*

Ven. Beda
da in vita
S. Cuthbert. c. 38.

pietissimus mundi Gubernator, eos, dum
 minora dant alijs, maioribus dignos esse;
 & sæpe subducit vires, aut membra corpo-
 ri, vt animo robur aut lumen addat.

§. XVI.

*Lingua vsu priuatus, prophetia dono or-
 natus.*

Ioan. Ni-
 der. l. 2.
 Formic.
 cap. 7.

Quod etiam vicino exemplo potest
 confirmari. Constantiæ ad lacum Acroni-
 anum vir erat, quem à primis incunabulis
 natura mutum surdumque, fortuna inopé
 esse voluit, vt haberet vtrinque patientiæ
 occasionem. Sed quod corpori deerat, ani-
 mo superabundabat. Vita illi humilis, ha-
 bitus vulgaris erat, anima sublimis, &
 virtus à Deo singularis data. Quare vt
 nulli hominum molestus, ita Numini sem-
 per valde addictus fuit, cui corporis &
 mentis illibata seruebat virginitate. Ob
 quam rem & prophetiæ spiritu scientiaque
 rerum occultarum fuit ornatus. Quan-
 quam enim linguæ vsu destitutus, nutibus
 tamen multa futura atque arcana indica-
 bat. Experti sunt id viri Religiosi & sæ-
 culares; quibus, quod in animo conde-
 bant, patefecit; inter quos fuere ij, qui in
 Patrum Dominicanorum cœnobio Con-
 stantiæ

stantiæ vitam degebant; & quidam sacerdos Romam profectus, de cuius sero re-
ditu desperabatur. Nam, morâ nimis pro-
tractâ, cum, quæ ad custodiam domus do-
mi relicta erat cognata, jam alia consilia
agitare cœpisset, mutus iste læta facie, se-
renis oculis, & ore ad iucunditatem com-
posito ad eam cucurrit, hilariq̃ue manu
complosione virgini haud obscure signifi-
cavit aduentum sacerdotis; qui postero
die cum navi appulit. Nutriebat pauperem
hunc mutum ciuis Constantiensis copiosus
& opulentus, eumq̃ue filij loco habebat.
Hic aliquando lacum traiecturus domi
conuafabat. Quod ubi vidit mutus, ma-
nibus pedibusq̃; obstitit, eiq̃ue, qua pote-
rat gestuum vehementia, iter dissuasit.
Sed surdus, quasi cum surdo egisset, ita
non est auditus; neque enim se dominus
passus est à consilio dimoueri. Quàm per-
tinax dominus fuit in proficiscendo, tam
constans mansit mutus in dehortando.
Quin & domo exeuntem profectus est
ad præripia lacus, ubi cum ei profectionem
nullo modo dissuadere posset, tandem cir-
ca nauem de littore soluentis manus ad
cælum oculosq̃ue sustulit, lamentisq̃ue &
gemi-

gemitibus ostendit Mecænati suo graue aliquod malum impendere. Neque antea cessauit abeuntem plangere, quàm eum desijt è propinquo videre. Vatem fuisse, exitus probauit. Nam intra paucas horas, coorta tempestate, fluctus nauem & ciuè cooperuerunt. Qui aquis submersus serò agnouit, à muto sibi hoc infortunium esse prædictum; cui Deus linguam & aures ligauit, sed in harum vicem secreta sua patefecit. Quare qui hominum audire voces foris non poterat, Deum audiuit intus loquentem; & qui verbis efferre cogitationes proprias nequibat, nutibus expressit cogitationes diuinas. Quis diuinam acuset prouidentiam cum hominibus sic agentem? Quis non miretur, amet, prædicet eius clementiam tam beneficè punientem? Quis ei non adhæreat, seque totum consecret, afflictos, pressos, & vel in minimo membro patientes tam grandibus donis consolanti? *Ista meritò debemus Domino, ait Umbertus, quia beneficia innumera præstat cordi nostro; ipse namq; Deus potentiâ inuat corda nostra; sapientia gubernat; bonitate ditat; dulcedine cibat; pulchritudine inuitat; charitate unit; promissis allicit; flagellis*

Umbertus
de 3. vo-
tis. c. 48.

gellis erudit; comminatione concutit; ac beneficijs emollit. Ipse Deus dulcissimus corda nostra intuetur approbando, tangit excitando, visitat consolando, viuificat iustificando, aperit irrorando; de quibus omnibus gratiarum actiones nos referre conuenit indefesse. Immò etiam tum, quando defectum aliquem naturæ, in hac vita, non supplet; quia mali, qui conotantur, eo digni sunt; boni autem spem habent, illum in altera vita centies millies compensandum.

CAPVT XVII.

*Monstrositatem omnem cessaturam apud
Beatos, futuram autem apud
damnatos.*

§. I.

*Monstrosos homines aeterna vite capaces
esse.*

Antú abest, vt Deus sit iniquus, si defectum corporis humani, aut formam informem esse finit (nam de bestijs, aut plantis monstrosis neque quærere homines, neque queri valde solent) vt eam etiam, tanquam Mundi Gubernator, certis terminis ac regionibus

bus